



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Martini Lvtheri Piae Ac Doctae Operationes In Dvas Psalmorvm Decades

Luther, Martin

Basileae

VD16 L 5540

Psalmvs Secvndvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37005

QVARE fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania:
Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in unum,
aduersus dominum & aduersus Christum eius.

HUNC psalmum esse a Dauid factum, & de Christo loqui, cogit autoritas
primitiæ Ecclesiæ, de qua Lucas Act. iij. scribit: Vnanimiter leuauerunt uo- *Intellectus*
cem suam ad deum, & dixerunt: Dñe, qui fecisti cœlum & terrā, mare & omnia *psalmi.*
quæ in eis sunt, qui spiritu sancto per os Dauid patris nostri, pueri tui, dixisti:
Quare fremuerūt gentes, & populi meditati sunt inania. Astiterūt reges terræ,
& principes conuenerunt in unum aduersus dominum, & aduersus Christum
eius: Conuenerunt enim uere in ciuitate ista, aduersus sanctum puerum tuum
Iesum quē unxisti, Herodes & Pontius Pilatus, cum gētibz & populis Israel
facere, quæ manus tua & cōsiliū tuum decreuerunt fieri &c.

Firmandus est itaq; animus hoc sensu, nec alio doctrinæ uento agitandus,
de cœlo enim confirmatus est iste intellectus, commotus est locus, finita hac
eorum oratione, ut scribit idē Lucas. Perspicuum est ergo, per reges terræ, intel-
ligi Herodem & Pilatum, etiā si Pilatus nō erat rex, hij duo enim simul coope-
rati sunt, ut implerēt q̄ cōsiliū dei decreuerat, sicut hic dicūt (id est Christum
perderent) Non enim aliq̄ hoc fecerūt reges, nec de alia re loquitur, q̄ quæ sub
Pilato, cōtra Christum gesta est. Reliquum est, ut hunc nihili nodum dissolua-
mus, aut Pilatum regē appellatum cum Herode, aut tropo scripturæ usitatissi-
mo nomine patris totum appellatum. Sicut Israel uocat filius primogenitus,
cum multi inter eos essent Idolatræ, rursum omnes arguuntur ubi pauci me-
ruerunt. Ita unus rex, utrunq; regem facit.

Iam per principes intelligi sacerdotū principes, per gētes milites Romanos
sub Pilato, qui Iesum comprehenderunt, flagellauerunt, crucifixerunt: Per po-
pulos, uulgus Iudæorum, seu Israel. ut ipsi dicunt, satis clarum est.

Hoc loco gens & populus manifeste discernuntur, sed nō ausim dicere, nec *Gens &*
credo constantem esse per omnia hanc differentiam, quanq̄ uocabulum gen- *populus.*
tium frequentissime usurpetur cōtra Israel seu Iudæos, ita ut Ecclesia gentium,
& Paulus Apostolus gentium, iam celebri autoritate & usu, dicatur contra Iu-
dæorum Ecclesiam seu quæ ex Iudæis uenit.

Nota partitionis obseruantiam, gentes fremunt, populi meditantur inania, *Partitio sum-*
reges assistunt, principes conueniunt in unum. Gentes, ut irrationales bestia- *diorum.*
fremunt, quid enim facerent, ignorabant: Populi autem garriebant, & sua
consilia cōferebant, locuti, scilicet nequitiam in excelsum, & sermonibus odij
circumdede- runt eum, ut psalmo. cvij. Venite occidamus eum, & nostra erit
hæreditas. Et Caiphas Ioan. xj. concilio coacto dixit: Vos nescitis quicq̄, nec
eogitatis: Expedit uobis ut unus homo moriatur pro populo. Iste ergo tracta-
tus inanis, quo quærebant toties Christum perdere, & accusationis commenta
coram Pilato, hic inanes meditationes uocat. Reges autem statuerunt (sic
enim ex hebræo, astiterunt, intelligendum est) id est definerunt, pronuncia-
uerunt, stabiliuerunt fremitum & meditationes illorum, data sententiā super
Christum, Volens, inquit, satisfacere populo, Pilatus dimisit illis Barrabam,
B ij Iesum

Iesum uero tradidit, ut crucifigeretur. Principes conuenerunt, considerantes, persuaserunt simul & firmati sunt; ut Iesum perderent: Concitauerunt turbam, ut magis peterent Barrabam &c.

Modestia Aduerte, Verecundiam & modestiam oris prophetici, quae tenuiter, modeste
cre scripturae compatienter, furorem illorum exprimat, cum enim furiales illas uoces, Tolle
7c. Tolle, Crucifige, Crucifige eum, & alios clamores feroces Iudaeorum, qui
uocat, Meditatio autem, ut supra diximus, garritus & fabulatio oris est. Est enim
haec mala meditatio: Nam sicut amans de amante, libenter multa loquitur, ita
osor quoque de eo quem odit, assidue & pessima loquitur & garrit. Similis uere-
cundia in uerbis, fremuerunt, astiterunt, conuenerunt, cum res ipsa fuerit, inque
atrocior, quam uis horum uerborum indicet.

Extenuanda Quo docemur oportere mala hominum, non more detractorum exaggerare,
mala proximi sed quantum potest fieri extenuare, ut ostendamus nos, non tam notuit
indignari, quam illorum miseria dolere. Benignus est enim spiritus sanctus, non pro-
riatur in malis alienis, sed sua bonitate, miseretur omnibus. Nam sic sanctus Petrus
& Christum memorat, non maledixisse nec comminatum fuisse, cum peccatorum
nec uindictam optasse, sed omnia tradidisse ei qui iuste iudicat.

Argumentum Inania dicit, quo uerbo pene totius psalmi argumentum comprehenditur
psalmi. enim Propheta ostendere Christum a deo patre institutum regem, magis
magnis gentium & Iudaeorum, regum & principum resistētibus, confisus, a
deus, furoribus non potuisse impediri, Sed a deo illos inaniter omnia commo-
pulsisse, ut & seipsos irriserint, & eo ipso quo resistebant, magis promouerent
gnum Christi, quasi hoc psalmo, exempli uice, illud probare uoluerit, quod primo
primo, dixit: Omnia quaecumque faciet prosperabuntur, In quantum deus
intelligitur. Nam huc illud pertinet psal. xliiij. Specie tua & pulchritudine
intende, prospere procede, & regna. Et. cxvij. O domine bene prospera

Prosperitas nediectus qui uenit in nomine domini. Prosperitas enim Christi (ut diximus)
Christi. mundana, neque carnalis, sed spiritualis est. Quis est enim qui cum peccatorum
Christus, non putasset eum unquam futurum hominem infimum ac uium, uel
regem omnium? Quis non meditationes populi tunc stabilitas, & non timore
esse crederet, quando & autore deo a se donatum ad maledictum crucis pro-
rentur, ac in eternum firmata arbitrantur meditata sua? Adeo semper quae
fide & spe, in operibus dei, non tantum ferendis, sed & intelligendis, quae
omnem sensum, supra omnem captum, implentur.

Et illud quoque fidei uerbum est: Aduersus dominum, & aduersus Christum
eius. Nam pro domino & pro Christo agere uidebantur cum omnibus ad-
tum maxime sibi ipsis. Sic & hodie & semper impij pro gloria dei, contra glo-
riam dei, horrendo periculo operantur. Sic enim deus administrat mundum,
& stultificat eius sapientiam, ut illi qui pro gloria dei agere iudicantur, in
opera dei. blasphemiam eius agant, & qui blasphemiam criminantur, hi uere pro gloria dei
certent, in absconditis, in fide, in sancto, uia eius, Atrium non mentantur, quia
datum est gentibus, ait Apostolus.

Prius dicit, Aduersus dominum, deinde, aduersus Christum eius, quia omne
peccatum primo omnium offendit deum, ipse enim est non solum iudicium, sed
amor quoque iustitiae, & ex ipso accipiunt, quicumque diligunt iustitiam, neque
enim peccatum esset, nisi deum offenderet.

Sed ideo quoque sic ordinat uerba, ut pro nostra consolatione & exhortatione
uileamus.

discamus, nunq̄ nos pati iniuriā, quin prior & magis offendatur deus, q̄ nos,
 & tantam esse super nos dei patris curam, ut ante sentiat, indigniusq̄ ferat no-
 stram iniuriā, q̄ nos ipsi, ut ab affectu uindictæ nobis temperemus, quin potius
 eorum misereamur, quos uidemus per nos in tantam maiestatem, pro sua perdi-
 tione intruere, cum nō modo nō possint nocere, sed seipos potius horribiliter
 perdant. Sic ait: Qui tangit uos, tangit pupillā oculi mei. Nā & Propheta
 ex animo cōdolens illorum temeritati: Primum, interrogatiue incipit, ut quid
 fremuerūt: quare seipos irident: cur molliūtur stulti impossibilia: O utinam
 saperent & intelligerēt. Deinde exhortatus eos monet, ut solida pro inanibus
 operentur, hoc est, ut erudiantur potius & intelligant ad seruendum Christo
 in timore. Deniq̄ & ipsa uerborum tenuitate, inanity, & frustra eos cona-
 tus satis eleuat, fremuerunt, inq̄, meditati sunt, astiterunt, cōuenerunt. q. d. fre-
 mere potestis, abolere nō poteritis, meditabimini multa garrītes, nihil efficie-
 tis, statuerunt reges, & non fiet, cōsulent principes & irritū erit. Quid igitur re-
 liquum uobis, nisi inani conatu multa uoluisse, ardua tentasse, omnia exquisi-
 uisse & nullum illorum cōtigisse, sed omnia longe in contrarium euasisse? Ita
 impijs fremitus & consilia & studia aduersus pios permittit deus excitari, sed
 hæc oia sunt uelut fluctus tumētes aquæ, qui tumore suo uelut obruturi litus
 irruunt, & anteq̄ ad litus perueniant in seipsis humiliātur & euanescent, aut
 inani loquacitate in litore colliduntur. Iustus enim ut litus solidus in Christi
 fide, has languidas minas & cito ruituros tumores, fidens cōtemnit. Scit enim
 q̄ Moab supbus est ualde, & nunq̄ tāta eius uirtus quāta præsumptio, & maior
 indignatio, q̄ potestas, sicut Isaiæ & Hiere. dicūt. Quæ cruce satis digne torquē-
 tur impij, quādoquidē insignis est tortura, uelle omnia nocere, & nihil nocere
 posse, ut etiā gētes de inuidia dixerint: Inuidia siculi nō inuenere tyrāni maius
 tormentum, q̄ in re Christianorum eo maioris est gratiæ, quod non solum tor-
 quētur impij, nec solum nō nocere possunt, Sed cōsulentē deo, sua tortura, sua
 inani machina, maxime omnīū promouere cōgūtur, quod impedire nituntur,
 ut nec amici tātum possint Christiano prodesse, quātum inimici.

*Impiorum in-
nes conatus.*

Dirumpamus uincula corū, & proiciamus a nobis iugū ipsorum.

Hunc uersum connecti oportet uerbis illis, fremuerunt, meditati sunt, astite-
 runt, ut sit sensus: Hoc scilicet, fremuerunt, hoc garrierunt, hoc statuerunt, hoc
 concluderunt, ut dei & Christi iugo colla subducerent, uincula eorum rumpe-
 rent, & dicerēt: Nolumus hūc regnare super nos, Lucæ. xvj. Aut illud Job. xxj.
 Qui dixerunt deo, recede a nobis, scientiam uiarum tuarum nolumus. Quis est
 omnipotens ut seruiamus ei: aut quid p̄dest nobis, si orauerimus illum? Indu-
 eit enim Propheta impijs, ita loquētes. Alijs aliud uidetur. Ego interim hunc
 sensum sequor. Proinde, quod alijs scrupulū iniecit, q̄ plurali numero, eorū
 & ipsorum dixit, ad dñm & ad Christum eius referri debet, qui sine dubio duo
 sunt, Deus & homo, mittens & missus, sicut si diceres: Reiecit populus tam le-
 gatū q̄ principem, nec acceperunt consilia eorum.

*Vincula eorū
non eius.*

Significari autem uinculis & iugis præcepta diuina, per allegoriam, uel me-
 taphoram, Hieremias. v. probat: Ego autē dixi, forsitan pauperes sunt & stulti,
 ignorātes uiam domini & iudicium dei sui. Ibo igitur ad optimates, & loquar
 eis: Ipsi enim cognouerunt uiam domini, & iudicium dei sui. Et ecce magis
 hi simul confregerunt iugum, ruperunt uincula. Eiusdem. ij. A seculo con-
 fregisti iugum meum, rupisti uincula mea. Quāq̄ hic locus deprauatus est,

*Vincula uia
gū præcepta
diuina.*

B ij cum in

cum in hebreo prima persona, deus dicat: A seculo confregi iugum tuum & rupi uincula tua, ut sint uincula contraria uinculis, iugum, iugo, uia dei, uia hominum, iudicium dei, iudicio hominum.

Vincula, mandata Christi sunt, quibus in uia eius ambulare docemur. Iugum seu funes, iudicium, quo prohibemur operari mala, ut sit illud iustificatio spiritus, hoc mortificatio carnis. Duo enim sunt, quæ præcipiuntur: Declinare a malo & facere bonum, quorum prius ad crucifigendas carnis cupiditates, posterius ad bona opera facienda pertinet. Nec refert, si hæc quis permutet, ut uincula pro iudicijs, & iugum pro iusticijs accipiat, idem enim permanet sensus, quo habito, uerbi contentio contemnenda est.

Est autem uersus allegoricus, nam Rumpere pro contemnere, & tritum facere, Vincula pro præceptis, Proicere, pro non obedire, negligere, non recipere, iugum pro eruditione & disciplina castigandæ carnis, accipitur. Non autem allegoricum dico, more recentiorum, quasi alius sensus historialis sub eo sit querendus, quæ qui dictus est, sed quæ uerum & proprium sensum figura locutione expresserit.

Illud uide, Peruersis omnia peruersa, sicut dictum est, Cum peruerso peruerteris. Legem Christi, quæ libertatis & suauitatis est, uincula & iugum appellent, seruitutem & difficultatem arbitrati. Rursus suam legem, quæ ueritatis seruitus & infirmitas, libertatem & facilitatem esse credunt. Adeo impia omnia cedunt in malum, sic Hieremia, xxij. Quia dixistis sermonem istum, onus domini, & nisi ad uos, dicens: Nolite dicere onus domini, propterea, Ecce ego tollam uos & derelinquam, & dabo uos in opprobrium sempiternum. Necesse est enim, ut cui sua placent, diuina displiceant.

Onus domini
lene & suauis.
Phariseorum
grauia onera
sunt.

Iterum fidei oculis opus est, non enim Propheta dicit hæc, quod uellet uere dominum & Christum intellexisse, quando dixerunt: Dirumpam uincula eorum, quum pro deo & pro lege eius sese agere crederent, si Christum reijcerent. Sed Propheta, dominum & Christum appellat, quos, ab illis ignorantibus, contemptos describit, & uide an ne ideo, toto uersu uoluerit allegoriam uti, ut illos aliud simulasse, aliud fecisse ostenderet, & quandam operis allegoriam in cæcitate sua perfecisse, dominum & Christum reijcientes, quando maxime pro eis facere simularent.

Quid si per Tapinosin, pronomen eorum, posuerit propheta, ut simul apud se referat & intelligat, dominum & Christum eius, simul eorum in signum arguat contemptum, quo Christum nec noie dignantur, nedum pro domino & Christo agnoscent. Igitur hucusque conatum eorum descripsit, quo Christum noluerunt regem constitui, quem dominus iam constituerat, in quo non tantum contra Christum, sed multo magis contra ordinationem dei machinati sunt, sicut figuratum est in Dauid & Saule: Nam & ipse Dauid diuino præcepto, rex inunctus erat, at Saul & Deo in hac ordinatione, & Dauid pertinacissime restitit, nec absimiliter & ipse fremuit, multa meditatus, multum strepit, multa consuluisset contra eum, sed sicut inaniter omnia præsumpsit, ita & Iudæi & gentes aduersus Christum, ut sequitur.

Qui habitat in cælis irridebit eos, & dominus sublabnabit eos.

in scripturis
repetitio.

Tautologia ista seu repetitio eiusdem, quæ frequens in scripturis est, similitudinis indicium est, autore sancto patriarcha Ioseph, Gen. xli, ubi uisiones Pharaonis interpretatus dixit: Quod autem uidisti secundo, ad eandem rem pertinet, sicut in similitudinis

firmitatis indicium est, eo q̄ sermō dei fiat, & uelocius impleatur. Ergo & hic, iridebit & subsannabit, idē repetitur, ut nō sit dubiū, certissima omnia fore.

Quod benignus spiritus, pro nostra paraclēsi & consolatione facit, ne scilicet in tentatione deficiamus, sed in certissimam spem nos erigamus. Quia ueniens ueniet, & non tardabit. Quare & si in humanis locutionibus Tautologia uiciosa & superflua uideatur, In rebus tamen dei, summe necessaria est, propterea, q̄ spes (ut ait Sapiens) quæ differtur, affligit animam, uera, in q̄, spes, quæ in passionibus & cruce laborat. Dura est enim omnis mora ihs, qui in passionibus Christi exercitantur, ideo opus habent, firmissima & securissima promissione dei, qua sustententur.

Rursus sicut in promissionibus bonorum, nō potest satis inculcari cōsolatio afflictis, ita in minis malorum nō potest satis intētari terror insensatis, duris & incredulis. Ideo & in hac parte opus est Tautologia, ut in terrorem mittantur, certissima & firmissima comminatione. Nam sicut illis nimium adest timoris & minus spei ac securitatis: Ita his nimium adest securitatis & spei, nihil autē ferme timoris, sicut psal. xiiij. Nō est timor dei ante oculos eorū. His opus est, ut timeant dñm, illis, ut sperēt in misericordia eius. Ut stet utriq̄, uia media & recta, quæ describitur sicut Beneplacitum est dño, super timētes eum, & in eis qui sperant sup misericordiam eius. Nobis ergo hæc scripta sunt, ut p̄ patiētiā & cōsolationem scripturarum, spem habeamus. Nā hoc quod de Christo hic scribitur, exemplum est oīum Christianorū, q̄libet enim sincere uolēs Christianus esse, praefertim, si & uerbū Christi doceat, suos patietur Herodes, Pilatos, principes, reges, gentes, populos, qui fremāt in eum, meditent inania, erigant se aduersus eum, & conueniāt in unum, quod si ab hoibus hæc nō fiunt, a demonibus, nouissime a cōsciētia, ppria, saltem in morte fiēt. Tum opus est, huius & similibus cōsolationis meminisse: Habitator cœli iridebit eos, & dñs subsannabit eos, atq̄ in hac spe fortiter cōsistere, nullaq̄ causa uacillare.

Suos Herodes & principes sacerdotum, ueritatis hostes, sincere Christū doctores coguntur pati.

Et quo firmitior sit fiducia afflictorum, Emphaticos dicit, Ridebit & subsannabitq̄, d. Adeo certū est, eos inania moliri, quantūlibet oīum sensui uideātur solidissima, ut dñs nō dignetur, uelut seruo ac in re magna illis resistere: Sed ut in re prorsus nihili, rideat & subsannet, sicut & psal. xxxvi. in eādē sententiā, Obseruabit, inquit, peccator iustum, & stridebit super eum dentibus suis: Dñs autem iridebit eum, qm̄ prospicit, q̄ ueniēt dies eius. Deinde aduersarios nostros nō modo humiliādos, sed etiā ridēdos esse. Oquāta uis fidei in his uerbis requiritur, quis enī patiēte Christo, & triūphantibus Iudæis, deum ridere sensit? Ita & cum nos premimur, quando credimus rideri aduersarios nostros a deo, cum nobis tam deo q̄ hominibus irrisi & subiecti uideamur?

Irisio autem hæc diuina est, ut dixi, q̄ Iudæos & gentes Christicidas, irrisos fecit toti orbi terrarum, resuscitans eum a mortuis, & ex desperato Christi regno in uno populo, æternum florere fecit imperium eius super omnem creaturam, adeo in diuersissimum euentum eorum studia uertens, ut cantemus: Excelsus super omnes gentes dominus, & super cœlos gloria eius. Qui humiliatus est subter omnes Iudæos, & infra terrā quoq̄ fuit ignominia eius. Proinde sicut in uerbis præcedētibus, passio & mors Christi prophetata est: Ita in hoc uersū, Resurrectio eius, licet obscurius prædicta est.

Irisio diuina.

Sed quid illa Periphrasis, Qui habitat in cœlis: nempe quietum simul iudicem, & mire absconditū, pro nostra spe erigenda depingit, Habitat ille, qui pro nobis sollicitus est, securus & quietus, & si nos turbamur, nō turbatur ille qui

Deus sedet & habitat.

B iij curam

curam nostri habet, nos fluctuamus, sed ille sedet, ut non in æternū det fluctuationem iusto. Verum hoc totū adeo abscondite, ut nisi in cœlis sis, nō cognoscas. In terra, in aquis, in omnibus creaturis, pateris, abnegata est tibi ubiq; & in omnibus spes auxiliij, donec fide & spe, omnia transiliens, eum attingas, qui in cœlis habitat, tunc enim & tu habitas & in cœlis, sed fide & spe. Hic ergo ancora cordis nostri figenda est, in omnibus tribulationibus, qua ratione sit, ut non modo facilis, sed & ridicula sint mala mundi.

Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos.

Quod de Tautologia dictum est uersu proximo, & hoc uersu seruetur. In factis enim & dei contemptoribus, nihil satis dici potest: Ridet enim hantem et brantem Behemoth ille, Iob. xli, & æstimat maleū sicut stipulā, reputat ferum quasi paleas, & æs quasi lignū putridum: Non fugat eū uir sagittarius, in stipulam uertuntur ei lapides fundæ &c. Quis hic Tautologia forte nō esse uideat?

Loqui deum
in ira.

Quando autem locutus est ad eos in ira sua, aut quæ fuit ira sua? utiq; tunc, quādo irrisit eos, quod intelligemus, si quid sit loqui deū in ira sua scierimus. Hieremias, xvij, dicit: Repente loquar aduersus gentem, & aduersus regnum, ut eradicem & destruam & disperdam illud &c. Ergo loqui in ira, est eradicare, destruere, disperdere, hoc est, quod Iudæis contigit, qui dixerunt: Ne forte ueniant Romani & tollant locum nostrum, & gentem, melius est ut unus moriatur, ne tota gens pereat. Has inanes meditationes irrisit dñs, dum id quod impius timuit (iuxta Prouerb.) uenit ei, & per Romanos eradicauit, destruxit, & disperdidit eos. Ira itaq; & furor dei, fuit impetus Romanorum, sicut Ieremias dicit: Væ assur, uirga furoris mei, & baculus ipse est. In manu eius in digito mea, Ad gētem fallacem (id est hypocritā & simulatricem) mittā eum, & cetera populū furoris mei, mādabo illi &c. quæ uerba meo iudicio, oīno de Rom. exercitu dicta sunt. Quod enī dicit, Mandabo illi, hoc in isto uersu dicit, loquetur ad eos, quia mādato & uerbo dei, omnia fiunt. Ipse dixit & facta sunt &c. Quare hoc uerbum, loquetur, absolute accipiendum est, hoc modo: Loquetur, id est uerbo suo statuet, mādabit, ordinabit, sed quod sit, contra eos nō potest. Deinde non in misericordia, sed in ira. Nam loquitur & contra iustos & filios suos, dum mandat eis inferri Crucem & Mortem, iuxta illud, j. Reg. xvij. Dñs præcepit ei, ut malediceret Dauid &c. Sed in misericordia. Quia si præpositio admutetur in, aduersus, & uerbum, loquetur, in uerbum, mādabit, clarior erit: Tunc mandabit, aduersus eos in ira sua.

Nec solum destruet & disperdet eos, sed & conturbabit eos, quia foris pauca, intus pauore, eos consumpsit. Conturbat sane & filios suos, mirorq; pauore exterret, sicut Christus in horto, sed in misericordia, Iudæos uero, dum a Romanis uastarentur & occiderentur, perpetuo incipiente pauore conturbant. Impossibile est enim, ut impius moriens, non expauescat æterno pauore. Mitis fuisset pœna si tantum uastati fuissent, sed quod in ira uastati sunt, atrox est, longe autem atrocissimum, quod in ira uastati & occisi etiam, in furore conturbantur, & in sempiternum horrorem per mortem sunt protrusi. Iam uideat catalogum pœnarum horribilium, quæ Christicidis paratæ sunt. Primum, amissa gloria, propter quam in Christum maxime insaniunt, sunt ridiculam deo & omnibus, ubiq; ignominiam sui spectantes, quod superbis & inuidis, non leue malum est.

Deinde

Deinde amissis omnium rerum auxilijs, uastantur, radicanur, destruuntur, ut in corpore quoq; nullum sit eis solatium.

Tandem summum accedit malorum, q; tribulatio & angustia cōturbat animas eorum, aeterno pauore. Ita in fama, in rebus corporalibus in rebus aeternis plectuntur, nullaq; sit creatura, nec deus illis propitius. Obsecro, quis non miseretur inimicis suis, quis non ploret pro eis, quis non omnia pro eis, nedum ab eis ferat, qui firmiter credat, hæc intolerabilia mala illis imminere: Deinde uide ordinem.

*Christianus
qui credit de
plorat inimicos,
nō odit.*

Primum, ridentur & subsanantur, uersa eorum gloria in summam confusio nem (Hæc enim extrema possessio est) deinde uastantur, exuti rebus & facultatibus paternis, quæ est altera possessio. Ultimo, terrentur pauore, ablata omni spe & fiducia in spiritu, quæ est intima & nouissima possessio, atque hij fiunt, tanq; puluis ante faciem uenti.

Atque iterum uides, impiorum poenam describi, pauorem & horrorem. Si cut enim regnum dei est iusticia, & pax & securitas, ita necesse est, infernum esse peccatum, pauorem & horrorem.

Ego autē cōstitutus sum rex ab eo, super Zion montē sanctum eius.

Hic mutatur persona, nō enim de se Dauid loquitur, sed Christus. Hebræus uero patris personam sonat: Ego constitui seu ordinaui regem meum, super montem Zion, sanctum meum. Nec puto rem tanti esse momenti, ut propter uerbi cōtrouersiam digladiemur, cum uterq; sensus bonus sit, nisi q; hebræus textus tropo scripturæ usitato magis conuenit, quo patri tribuitur autoritas, iuxta illud psal. cix. Dixit dominus domino meo, sede a dextris meis. Et psal. lxxxviiij. Et ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ. Sta puleñ. putat dici posse: Ego autem unxi regem meum, nixus uerbo fidelium, Act. iij. ubi dixerunt: Cōuenerunt aduersum puerum tuum Iesum, quem unxisti. Sed uident uerbum, unxisti, nō ex isto uersu, immo ex secūdo sumpsisse, ubi dixerāt, aduersum Christum eius, quod sonat, aduersum unctum eius, quod confirmandi affectu repetunt. Vere inquit, illi Christus & unctus est, quem tu unxisti, id est, Christum fecisti.

Illud pro mea paruitate sapio, sanctum meū, nisi hebræus cogeret ad mōtem Zion copulari, non inepte ad Christum pertinere uideret, ut esset sensus: Ego constitui regem meum super Zion mōtem, nō quemlibet hominem, sed eum qui est sanctus meus, unctus a me spiritu sancto. Nam Christus sanctus dei, & sanctus Israel dicitur in scripturis, ut psal. xv. Nec dabis sanctum tuum uidere corruptionē. Et psal. lxxx. Dñi est assumptio nra, & sancti Israel, regis nostri, Sed hebræus (ut dixi) Montem sanctum meum, habet.

Est itaq; sensus: Illi noluerūt eū regnare super se: & aduersum me, & regē meū conuenerunt, uerum consilium meū stabit, & uoluntas mea fiet. Quis resistet uultui meo? occiderūt illi eum, Ego regem cōstitui eum, Subdixerūt sese illi, Ego mōtem Zion sanctum subieci ei, & omnes terminos terræ, Ac sic irrisi & subsannati sunt, & inania meditati palam ostenduntur.

Pertinet iste uersus ad locum communem ambitionis & arrogantiæ, quibus hodie in Ecclesia Christi, nihil impudentius dominatur, Sic enim Heb. v. Apollolus eum tractat. Nec quisq; sumit sibi honorem, nisi uocatus tanq; Aaron, nec Christus seipsum glorificauit, sed qui dixit ad eum: Filius meus es tu. Et iterum;

*Locus communis
ambitionis
& arrogantiæ*

iterum: Sede a dextris meis, hoc est, quod totus psalmus hic pene inculcat, quod omnia Christi a patre ordinata, non a Christo ipso arrogata & ambita delatibit. At decreta nostra iam multis annis uix aliud, quod de dignitate, potestate, priuilegijs, multo & graui ambitionis fetore tractant, sine ulla patris ordinatione aut constitutione.

Ecclesia Christi, mons Zion uocatur, quod in cœperit & misso spiritu sancto, ibi instituta est. Et quanquam nulli sit loco addicta, tamen necessarium erat, ut in aliquo certo loco exordium haberet. Vnde & postea illinc mota est in omnem terram, ut impleretur illud Christi Ioan. iij. Venient dies, quando nec in Hierusalem nec in monte hoc patrem adorabitis. Atque ita Ecclesia iam nullum locum & omnem locum habet, Simul spiritu sancto magistro, Ecclesie Hierosolymitanæ, hec modestia seruata est, ut nunquam de primatu & dignitate cum alijs Ecclesijs certaret, sicut Romana & Constantinopolitana certauerunt diuturno & scâdaloso certamine. Cum tamen illa (si primatus quareretur) omnibus iuribus anteferri cæteris debuisset, tum quod Christus ipse pontifex uerus fuerit, rex constitutus a deo patre, tum quod Ecclesia tota ibi exorta, cœlestis nata omnes Ecclesie, uereque mater Ecclesiarum ipsa sola, ibi omnes Apostoli & discipuli uelut presbyteri fuerint, sed noluit deus id fieri, ut arrogantiam

Laus Hierosolymitanæ Ecclesie.

Contra primatum.

Monarchiam Pape non damnat.

Ecclesia specula dicitur.

Zionius autem Episcopo.

Altitudo Ecclesie.

istam primatus reprobam nobis ostenderet, nec affectandam ulli alteri, quam nec ei, cui debebatur, permisit.

Non quod damnem Romanæ Ecclesie Monarchiam, sed quod detester eam uel impetu extorqueri, ac uelut præcepto dei arrogari, quæ multo fidelium consensu, & charitatis uinculo debuerat stabiliri, ut esset, non dominantis potestatis, sed seruentis charitatis Monarchia. Arrogantiam damno, rem commendo: Aurum non est malum, sed auaricia: Caro non est mala, sed libido carnis. Quanquam etiam hic satis resistit uigilanter Christus, quod nunquam omnibus Ecclesijs huic subijci passus est.

Igitur mons Zion uocatur, usitatissimo Tropo synecdoche, continens pro contento, sicut Hierusalem ciuitas, pro populo ciuitatis. Non solum autem hac ratione, sed & nois, rei, & formæ allegoria. Nomen Zion, speculam significat.

Ecclesia autem non tantum specula dicitur, quod deum & cœlestia per fidem (id est a longe) speculatur, sapiens quæ sursum sunt, non quæ super terram debent etiam quæ in ipsa sint ueri speculatores & uigiles in spiritu, quorum est, populi subiecti curam habere, & insidias hostium & peccatorum obseruare, qui graue,

Episcopi, uelut speculatores uocantur, quos ob eandem causam Zionicos aut Zionios ab hebræo fingere possis. Res autem est, quod Zion mons est, ita Ecclesia coram deo, spiritali altitudine sublimis est, propter magnitudinem uirtutum, donorum, gratiarum, operationum &c. quibus eam deus exaltauit, super omnem potentiam, sapientiam, iusticiam, hominum, iuxta illud Isaia. ii. & Mich. iij. Erit mons domus domini in uertice montium, & eleuabitur super omnes colles, Quod iterum cogor interpretari, propter carnales istos somniatores, qui uerba dei semper trahunt ad pompam mundi, Exaltatur Ecclesia, super omnem potestatem & altitudinem mundi, non diuitijs, aut potentia, sed fide, spe, charitate, & uirtutibus cõtemptricibus diuitiarum & potentia mundana, quæ enim Ecclesia nunc in his est sublimis, non Ecclesie proprium est, sed peregrinus quidam leuiathã, ideoque tantum decreuit in sapientia uerbi dei, in sanctitate uitæ, in uirtute operum &c. Hii enim sunt montes & uertices uerissimi Ecclesie Christi, in quibus non potest eam mundus æmulari: In illis autem mundum ipsa iam diu

iam diu superat, si Ecclesia uocari debet, quæ talia facit. Nam Ecclesiam ueram Christi certum est, semper eandem manere.

Forma Zion montis fuit, q̄ ipse in uertice Meridiano erectus, ciuitatem Hierusalem sub se habuit, in latere Aquilonis decliuem, & ad se accliuem, ut psalmo, xlvij. Mons Zion, latera Aquilonis ciuitas regis magni. Ista decliuitas & accliuuitas potest significare pugnam internam populi Christi, quæ est inter carnem & spiritum, Caro ad Aquilonem, Spiritus ad Meridiem tendit. Aut duas illas uitas, actiuam & speculatiuam, illa declinat ad curanda temporalia propter alios, hæc ascendit ad cœlestia, & pendet ad speculam, in qua sunt Episcopi uita & uerbo excellentissimi, alios ad se trahentes. In quorum medio est mons Moria, mons templi, hic est Christus deus & homo, qui utranq; completur, in utraq; moratur, sicut idem mons Moria, inter Hierusalem, sub monte Zion situs figurat. Est enim mons Moria, id est, uisionis, in quo Abraham obtulit filium suum, in quo & Salomon postea ædificauit templum, & nos quoque super Christum offerimur cum Isaac, & ædificamur in templum dei per uerum Salomonem. Christus enim mons, Moria nobis est, q̄ deus neminem uideat neq; agnoscat, qui non hoc loco, id est, super Christum & in Christo offertur & ædificatur, super hunc enim solum respiciunt oculi domini. Unde uocatur mons, Dominus uidebit in æternum, Verum Hæretici & superbi alios montes uisionis seu inuisionis potius erigunt, dum iusticijs & operibus suis mereri dei respectum uolunt.

Sanctus dicitur, non figurali illa sanctitate legis aut externæ consecrationis, in spiritu enim loquitur. Ideo non contentus dicere, Montem sanctum, addit, meum, q. d. qui & mea sanctitate factus est, nō qua lapides, ligna, parietes sanctificantur, sed qua mens & corpus, unctione gratiæ spiritus consecrantur, & per fidem, spem, charitatem, purificatur de die in diem. Est enim sanctum, qd̄ ab usu pphano separatum, solis sacris & diuinis usibus dicatum est. Quod ceremonialiter & literaliter fit per pontifices homines, sed ueritate & spiritu per spiritum sanctum diffusum in cordibus nostris.

In quibus omnibus manifeste distinguit Christi regnum, ab omnibus alijs regnis. De hoc solo rege pronunciat: Ego constitui, seu ego constitutus sum, quæ persona, cum sit deus inuisibilis & spiritualissimus, omnino spiritualem constitutorem indicat, cum cæteros nō ipse per seipsum, sed homines per homines constituit, uisibiles per uisibiles, non ergo regnum Christi est de hoc mundo, sed in spiritu & ueritate. Item: Regem meum, non regem hominum, seu quem homines constituunt. Christus ergo rex in spiritu & coram deo est. Deinde quanc̄q; super montem Zion constitutus est, tamen adiectum est, Sanctum meum, seu sanctum eius, ut regnum Christi intelligatur quidem esse, populus in Zion, sed is qui spirituali sanctitate sanctus est. Vides iterum, non in potestate, nec sapientia, nec dignitate mundi Ecclesiam Christi consistere. Et si sunt qui extra Monarchiam nouam, nullum Christianum existere garriant, cum Monarchiæ potentia nihil pertineat ad spiritualem sanctitatem,

Prædicās præceptum eius, Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te.

Hebraeus, hoc loco septimum uersum incipit hoc modo: Narrabo dei præceptum, Dñs dixit ad me, &c. quæ coherrentia meo iudicio id efficit, ut sciamus de quo

de quo p̄cepto uelit intelligi, q̄ se se narraturum dicit. Nempe de illo q̄
 subiungit, Dñs dixit ad ad me, filius meus es tu &c. Hoc inquit habeo in
 datis, ad hoc sum rex cōstitutus, ut annūciem oibus me esse filiū dei, clarior
 enim patrē debeo. Nā hic est scopus uniuersi Euāgelij, Christū nosse fidei
 sicut Matth. xvj. Quem uos me esse dicitis? Respondit Petrus: Tu es Christus
 filius dei uiui. Super hanc Petram ædificata est Ecclesia. Ita & Paulus, Cor.
 Nos prædicamus Christum uirtutem & sapiētiam dei. Et ipse per totum Euā
 gelium Ioan. aliud nō facit, q̄ ut se se filium dei ostendat, semper patrem dicit
 prædicans, qd̄ & in passione ei obiectum est, pro capitali crimine. Venit enim
 Christus ad instituedam fidem, qua creditur in eum ipsum filium dei, Hanc
 fides est, Plenitudo omnium legum, Iusticia in seculum seculi, opus
 gnificatiæ dei, mortificatio carnis, resuscitatio spiritus, uictoria mūdi, uictoria
 carnis, uictoria inferi, Sicut ait: Et porta inferi nō prualebūt aduersus eum.
 Breuiter hæc est oīa in oibus. Sicut Ioan. viij. Si nō credideritis, quia ego sum
 moriemini in peccato uestro. Rursum Ioan. vj. Qui credit in me nō morietur
 in æternum. Hinc Apostolorū Epistolæ plenæ sunt fidei doctrina, quia ipse est
 uita æterna. Sicut Ioan. iij. Qui credit in filium, habet uitā æternam, quia
 incredulus est filio, nō uidebit uitam, sed ira dei manet super ip̄m. Et ait, Ego
 ex me ip̄so nō sum locutus, sed qui misit me pater, ipse mihi mandatum dedit,
 quid dicam & quid loquar, & scio, quia mādatum eius, uita æterna est, quare
 ego ego loquor, sicut dixit mihi pater, sic loquor. Claret ergo, quod præcipuum
 dei prædicari, scilicet fidei, in se ipsum filium dei, in salutem omnibus, quare
 piunt eum, qui credunt in nomine eius &c.

Fides omnia.

Sed dices, si hoc uolui t̄ spiritus, cur nō planius uerba disposuit, in hinc
 Annunciabo dei p̄ceptum, q̄ ego sum filius eius, hodie genui te, &c.
 spondeo: Spiritus sanctus ubiq̄ sui similis est, sic enim & in Euāgelio loquitur,
 quando de se suaq̄ diuinitate loquitur, omnino id obseruat, ut autoritatem pa
 tris semper adducat, & totum quod ipse est, in patrem referat. Ego, inquit, in
 ip̄so non loquor, doctrina mea non est mea, & pater in me manens, ipse facit
 opera, & multa alia. Ita & hic, cum se p̄cepto patris diceret annunciaturum
 se esse filium dei, primū inducit patrem ad se dicētem, ut magis patrem in hinc
 de filio loquētem, quā ip̄m filium de se ip̄so audiamus. Ut sic sensus: Annunciabo
 dei p̄ceptum, me esse filium dei, sed non hoc faciā mea autoritate, ne uidear
 me uidear, quin potius, Quid pater de me dixerit, uobis annūciabo, ut ip̄m
 de me dicentem audiat, qui mihi mandauit annūciare id quod ad me dicit,
 ut sic autoritate illius mihi de me credatis.

Filius patri omnia accepta refert.

Et nota, mutatio ista personarum iam patris, iam filij recitantis uerba patris
 de se ip̄so, uenerabilis & sacra est, diuinitatis naturam & æqualitatem sanctus
 commendans, q̄ ut ego pro mea immundicia latius audeam uersare. Deniq̄
 hic psalmus unus principalium psalmorum est totius Psalterij. Id sufficit, q̄ et
 am Pauli Apostoli autoritate hic uersus, de generatione diuinitatis loquitur,
 Hebræis. j. dicentis: Cui enim angelorum dixit aliquando, Filius meus es tu,
 ego hodie genui te.

psalmus hic unus de principalibus.

Iam hoc unusquisq̄ per se obseruabit, q̄ uerba patris exprimit unigenitum
 filium, Dixit, inquit, ad me, scilicet unū nō ad multos, filius meus es tu, ueritas
 sine dubio tam singularibus notis insignem illū præ cæteris filium significat,
 de q̄ psal. lxxx. Quis similis erit deo in filijs dei? q. d. Multi filij dei, sed inter eos
 unus, q̄ deus est, quis huic similis? Item, Ego genui te, solus, solum &c.
 Ecclud,

Veritas filij.

Ecce illud, quod uigilanter & digne S. Patres interpretati sunt, Hodie genitū teritid est, in æternitate. Aeternitas est, quod genitus est, gignitur, gignetur sine fine, cui hoc est esse filiū, quod nasci ex patre: nec nasci cœpit, nec desinet, sed semper nascitur presentissima natiuitate. Recte hodie genitus dicitur, id est, nascens semper. Nam hoc hodie, non habet hesternū nec crastinū, sed semper diurnū generatio.

Sicut Ioan. viij. Antequā Abrahā fieret, ego sum. Vbi estis nunc miseri & ambitiosi homines, qui uices huius regis in Ecclesia in sacerdotes uel ambitiose queritis, uel infructuose tenetis, qui non annūciatis dei præceptum, non prædicatis Iesum Christum crucifixum filium dei, in salutem creaturæ & Episcopos & uerbi dei prædicatores. Hic filius dei constitutus homo rex, non querit quæ sunt, sed annūciat dei præceptum: qui regnum suum non sibi, sed alijs in salutem accepit, in gloria patris. At hoc unum officium uerbi, quod solum episcoporum est, solum præ ceteris omnibus omittitur. Deinde si sunt, qui illorum uice doceant, non præceptum domini, non Christum, sed suas fabulas, aut si optime, leges & traditiones hominum docent. Proinde ne credas ibi Ecclesiam, montem sanctū dei esse, ubi Christus Christū non purissime docet. Ponderis enim uerbi grande est, quod dicit. Annūciabo dei præceptum, dei inquit, non hominum præceptum, consilium, historias. Et ipse ego annūciabo: nā nisi Christus loquatur in nobis, præceptū dei nunquā annūciabimus. Ego, inquit, ero in ore tuo, & dilata os tuum, & implebo illud.

Nihil ergo discordat nostra translatio in sensu cū Hebræa, nisi quod distinctio uaria non nihil & sensui officere solet, quo tamen habito, distinctio non nocet, quare contentiosus esse nolo.

Discernit itaque hic uersus, genus doctrinæ, quod in nouo testamento docetur, ab eo quod in ueteri docebatur: olim lex, quæ irā operabatur, & peccatum augebat, nunc fides, quæ remissionē operatur, & iustitiā adimplet, docetur: ideo illic legifer homo Moyses & serius, hic legifer Christus deus, & dominus omnium: ille faciebat seruos peccati, hic liberos iustitiæ.

Doctrinæ nouæ
& ueteris testamēti
distinctio
discrimen.

Non quod etiā nunc non doceatur lex, cū Christus dicat Matth. xij. utraq; doctrina a docto scriba in regno cœlorum, tam uetera quæ noua, sed quod gratiæ prædicatione propria sit noui testamēti, & legis propria ueteris testamēti, cū enim nullus sit in hac uita, in quo impleta sit omnis plenitudo noui testamēti, nullus quoque inuenietur, in quo non sit aliqua pars ueteris testamēti reliqua. Transitus enim est & phase quoddam hæc uita, de lege ad gratiā, de peccato ad iustitiā, de Mose ad Christū, consummatio autē futuræ resurrectionis est.

Postula a me, & dabo tibi gentes in hæreditatem, & possessionem tuam terminos terræ.

Et hoc ad præceptum pertinet, quod annūciandum sibi Christus, mandari te patre, desumpsit. Dixit, inquit, dominus ad me, mandauitque mihi pater, ut postulem ab eo gentes in hæreditatem. Et hoc præceptum eius annūciabo, ut credatis & sciatis, me constitutum, non tantum regem super Zion montem sanctum eius, id est, super populum Israel, sed & hæredem ac dominum uniuersorum, ut qui hoc mandatum dei a me audierit & crediderit, per me ad patrem ueniat, & saluus fiat.

C Iterum

Inventiones
hominū in ec-
clesia.

Iterum uides Christi regnū non arrogantia sua præsumptū, sed patris aucto-
tate & mandato firmatū. Sic enim ambitiosis non modo non oportuit ex-
plum aut patrociniū relinqui, sed uitii eorū, etiā diuina autoritate compedi.
Nec sic tamen satisfactum est monstro tam ualido: Christus dominus omnium,
ni hil citra dei mandatū in Ecclesia gerit & facit; & uermiculi hominū, temere
& audent omnia, temeritate propria, in Ecclesia non sua.

Quid autem hoc sibi uult, q̄ constituendo super montem Zion, non peti-
pitur, ut postulet regnum montis Zion: super gentes autem promittitur heredi-
tatis, non nisi postulanti, immo postulare iulso?

Forte, q̄ Israeli promissa fuit in Abraham benedictio & regnū Christi gen-
tibus autem sine promissione donata est misericordia. Vt Ro. xv. Dico enim
Christum Iesum ministrum fuisse circūcisionis, propter ueritatem dei, ad con-
firmandas promissiones patrum, gentes autē super misericordia honorate de-
um &c. Veritas Iudæis exhibita est, & promissio exoluta: Gentibus autem mi-
sericordia libera, impartita. Hinc misericordia & ueritas usitatissime copulan-
tur in prophetis, quamquam & illud fuit gratuita misericordia, quod promitte-
tere dignatus est. Ideo Zion Christo non postulanti datur in regnum, Gentes
autem postulanti in hereditatem, tanquam donum Christi: ut quibus nihil p-
missum esset. Sic & Isa. ultimo: Annunciabūt gentibus gloriam meā, & adu-
cent fratres uestros de cunctis gentibus, donum domino. Ita Israel regnū postulat
gentes donum, uelut dos filix Pharaonis, quam dedit ei, Pharaon, rex Aegypti.
Deniq̄ ubi Christus rex super Zion constituitur, uerbis utitur præsens,
& rem ipsam fieri ostendentibus. At ubi haeres denunciatur, primum postula-
re iubetur, & in futurū ei promittitur. Quae omnia impleta uidemus in Actibus
Apostolorum, quando discipuli non praedicabant uerbum nisi Iudæis, donec
Paulus de caelo uocatus mitteretur Apostolus in Gentes. Igitur Christus iam
rex super Zion in terra constitutus postulat, sed in caelis regnans, accipit gen-
tes postulanti promissas.

Etiā hic non otiose dicit, A me, ut ostendat hoc regnum & hanc gentium
hereditatem, Christo, non ab hominibus, nec humano modo, sed diuinitus,
hoc est, spiritualiter collata.

Christiani nō
sub Romano
pontifice,

Hic unus est eorum locorum, contra quos temerarie pugnant, qui negant
esse Christianos eos, qui non sunt sub Romano pontifice. Hi enim dum pa-
trem mendacem facere conantur, ut qui terminos terrae Christo subiecent, ubi
ipsi nec dū Europam totam subiiciunt: An non possunt esse Christiani, quia
Turca aut Schyta, temporaliter illic dominatur? Quomodo ergo Romae po-
tuerunt esse sub Nerone & Domitiano? An non sunt illic Episcopi, quia non
emunt pallia? Non sacerdotes, quia non pendunt annatas? Quid si eo uentus
sunt Episcopi, quo magis opulencia, fastu & pompa uacui, uerbum dei docēt,
& regunt populum Christi? Certe apostolus Paulus Episcopos defuit Act.
xx. per attendere gregi, & regere Ecclesiam dei: Attendite, inquit, uobis & cum
uerso gregi, in quo posuit uos spiritus sanctus Episcopos, regere Ecclesiam, cui
tamen ad presbyteros loqueretur: ut in textu colligit aperte beatus Hierony-
mus. Quod & uerbo, attendere, uicina significatione, monstrauit. At regere
Ecclesiam, & attendere gregi, nonne fieri potest solo uerbi ministerio, & ora-
tione, citra ullum, qui nunc est Episcoporum, tumultum? Igitur nos (ne coar-
temus Christi hereditatem) nec propter perfidiam Turcarum, nec propter ali-
orum errantiū multitudinem: uerbū huius psal. mendacij arguamus, alioquin
quis

Episcopi defi-
nitio.

quis etiam inter nos scire potest, qui sint Christiani in ueritate: An non & nobiscum abundant mali, & pauci sunt boni: Maior est diuini uerbi autoritas, quam nostra capacitas; quanto magis quam nostra suspitio, & in facie externi ritus occupata phantasia.

Arbitratur B. Aug. tautologiam hic esse, idem uidelicet, per gentes in hereditatem, & per terminos terrarum in possessionem, significari, quæ semper (ut dixi) firmitatis indicium est, qua magis iuuatur fides nostra, esse scilicet Christi annos, etiam in aliis mundi partibus, ubi Apostoli alij prædicauerunt, quantum libet dominetur illic iniquitas.

Reges eos in uirga ferrea, tanquam uas figuli confringes eos.

Iterum phantasmata carnis amolienda sunt, ne quisque regnum Christi, ferro & armis parari aut seruari sibi fingat, cum scriptum sit: Non in curribus & in equis, neque in tibis uiri beneplacitum erit ei. Et Apostolus. ij. Corinth. x. Arma nostra non sunt carnalia. Nam & Turcas, quos hodie non nisi ferro quærimus, uincere oportuit, augendo Christianorum numerum qui inter eos sunt: Aut cur non & eos qui inter nos mali sunt, ferro psequimur, præsertim magnates populorum: Sed absit, Regnum Christi in iusticia, ueritate, pace, consistit: his rebus partum est, eisdem & uebitur. Vnde & superius, cum sese regem constitutum dixisset, nullum, prorsus officium commendauit, præterque uerbi, dicens: Prædicans præceptum domini: non equitans caballos, non uastans oppida, non quærens thesauros terrarum: sed hoc unum, prædicans ea quæ præcepit deus, id est, Christum deum & hominem: quod Paulus Ro. ij. Euangelium uocat, dicens: Segregatus in Euangelium dei, quod promiserat ante de filio suo &c.

Regnum Christi iusticie & pacis.

Vides autem & hunc uersum, esse totum allegoricum, non sine causa, si quidem significat quandam allegoriam, quæ geritur re ipsa & uita, Cui enim uerbum Christi, sit uerbum salutis & pacis, uerbum uitæ & gratiæ, atque hæc, non in carne, sed in spiritu operetur: necesse est, ut salutem, pacem, uitam, gratiam, carnis opprimat & expellat: quod cum facit, apparet carni ferro ipso durius & inclementius. Aliud enim sentitur, & aliud fit, quoties homo carnalis uerbo dei salubriter tangitur; nempe illud, j. Ro. ij. Dominus mortificat & uiuificat: deducit ad inferos & reducit, humiliat & exaltat. Hanc allegoricam operationem dei, pulchre Isa. xxvij. depingit, d. Ut faciat opus suum, alienum opus est eius, ut operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo, q. d. cum sit deus uitæ & salutis, & hæc opera eius propria, tamen ut hæc operetur, occidit & perdit, quæ sunt opera eius aliena, quo perueniat ad opus suum proprium: Occidit enim uoluntatem nostram, ut statuatur in nobis suam: mortificat carnem & concupiscentiam eius, ut uiuificet spiritum & concupiscentias eius.

Uerbum dei carnalibus ferarum.

Hoc est quod supra sine allegoria dixit: prædicans præceptum domini, Spiritus enim accipit uerbum dei, ut præceptum iucundissimum: tunc enim fit, ut mons Zion sanctus in regnum, & gentes in hereditatem, & termini terrarum in possessionem cedant. At caro fert præceptum seu uerbum dei indignissime, nec agnoscit ipsum, cum sit ei penitus & omnibus modis contrarium: Ideo ut uirgam & ferrum, & contractionem sui accipit. Et sic completur allegoria, tam si gnificante hoc uersu, quæ exhibente re & opere.

Reges eos. Heb. *רָוָה*, Throem, quod B. Hiero. transfudit, pasces eos. At Ioan. Reuchlin in rudimentis suis, huius uerbi multas ostendit significatiões,

C ij scilicet

Prudentissi-
ma expositio
uerbi heb.

scilicet, pascere, regere, absumere, affligere, amicus, cogitatio, cōquassare, seu
confringere & conterere. Et hæc ultima significatio, quātum ego infans, om-
nium aptissima est huic loco. Primum, q̄ uirga ferrea, omnium sensu, magis
idonea sit ad conterendum & confringendum, q̄ ad pascendum uel regendum.
Deinde ad regendum suffecerat dicere, uirga ad pascendum autem, neq̄ uir-
ga, neq̄ ferrea, apte dicitur. Ferrea autem uirga quid fiet, nisi contritio & con-
tractio: Iuxta illud Dan. ij. Quomodo ferrum comminuit, & domat omnia, sic
comminuet & cōteret omnia hæc. Ad hæc, q̄ hoc modo Tautologia pulchre
concinit, quia sequitur: Tanquā uas figuli confringes eos: ut idem sit contin-
ges, quod reges seu pascas. Vtroq̄ uerbo significatur humiliatio superborum
per uerbum dei, quod tunc confringit & conterit, quando terret & humiliat.
sic Rho. j. per Euangelium reuelari dicit, iram dei de cœlo futuram. Sic Act. j.
ad uerbum Petri conuersi & compuncti dixerunt: Viri fratres quid faciuntur:
hoc est, quod alibi increpationes, commotiones orbis terræ, tremores terræ ap-
pellat scriptura. Omnium autem pulcherrime Micheas. iij. Surge, inquit, pu-
tura filia Zion, quia cornu tuum ponam ferreum, & ungulas tuas ponam ter-
reas, & comminues populos multos, & interficies domino rapinas contritæ,
eos ipsos diabolo uelut spolia ablatis, & fortitudinem eorum domino uenture
sæ terræ: Ecce quid sit regere eos in uirga ferrea, nempe comminueres, ut hoc di-
cit) cornu ferreo populos multos.

Virga dei, Eu-
angelii Chri-
sti.

Virga itaq̄ est sacrosanctum Euangelium Christi, hoc enim est scriptū re-
gni eius: ut psal. xliij. Virga rectitudinis, uirga regni tui. Et psal. cix. Virga ue-
ritatis tuæ emittet dominus ex Zion. Ita Isa. xi. Percutiet terrā uirga oris sui, &
spiritu labiorū suorū interficiet impiū. Quid est uirga oris Christi, nisi uer-
bū dei, quo conterit terrā, hoc est, terrena sapientes. Quid spiritus labiorū, ni-
si idē uerbū spiritus, quo interficit impiū, ut uiuat pietati, mortuus impietati.
Hæc est uirga, cuius fastigiū in manu Ioseph, adorauit Iacob, Gene. xlix. Hæc
uirga, cuius fastigiū osculabatur beata Hester, eiusdem, v.

In onera pon-
tificia legis.

Dicitur uirga metaphoricis, seu potius allegoricis: Primū, quia gracilis &
facilis est, ut manu gestari possit, quia iugum Christi suaue, & onus eius leue,
Matth. xi. Mosis autem manus graues sunt, Exo. xvij. Ita ut suppositis lapidibus
ab Aaron & Hur sustentarentur: hoc est, ut Act. xv. Petrus exponit, onera
legis importabilia. Contra manus Christi imponuntur etiam grandes lapide-
sim in Euangelio, & ægris, ut bene habeant. Sed & Moses duas grandes tabu-
las & graues tabulas habet, deinde leuitæ olim grades & multas tabulas abe-
nacula portabant: de quibus Nu. iij. Hæc sunt, inquit, onera eorum: uere one-
ra grauiā & multa, si sola considerentur: Verū nulla, aut certe modica, si ecclesi-
asticas leges & iura hodie tyrannifantia spectes: Nos enim nō tabulas, sed syl-
uas & rupes integras hodie portamus, & manus pontificum tam graues, ut or-
bis uniuersus non sustentare possit, & hoc merito, quia uirgam Christi proie-
cimus: ideo contigit nobis illud Isa. viij. Quia abiecit populus iste aquas Siloe,
quæ fluunt cum silentio, propter hoc adducet dominus super eos aquas flumi-
nis fortes & multas.

Secundo, quia recta est: Euangelium enim & lex spiritus per rectitudinem
& uiam compendij ducit ad uitā, ubi lex literæ, per longas figurarū & operum
ambages, ac uelut per tardiosissimum iter deserti, uix perducit tamē usq̄ ad cæ-
lestia: peftria Moab, nec ad terram promissionis peruenit, sed cū Mose deficit.
Tertio, q̄ lex Christi nuda & reuelata est, sicut uirga sine theca portatur: lex Mo-

lex Moſi in arca, & tabula uelata portabantur: q̄ omnis lex, omnis operatio
 citra Chriſti legem, umbra, & abſcondita iuſticia ſignum ſit, nō autē res ipſa:
 quæ per legem Chriſti reuelatur Ro .ij. Iuſticia dei reuelatur in Euangelio ex
 fide in fidem.

Ferrea autem dicitur, primum (ut dixi) propter carnem, cui lex Chriſti eſt du
 riſſima, etiā ſi ſpiritu ſit ſuauiſſima; imponit enim crucē & mortem, omnibus
 deſiderijs eius, paupertatē, humilitatē, patiētiam. Hec ſunt tria cornua crucis,
 Paupertas enim cōcupiſcentiam oculorū & auaritiā. Humilitas ſuperbiā uitæ
 & ambitionem; Patientia, concupiſcentiā carnis & uoluptatem conterit. Inde
 Iſa. xxvij. uocat gladium durum & fortem: Viſitabit dñs in die illa, gladio ſuo
 duro & grandi & forti ſuper leuiathan ſerpentem.

Secūdo, quia inflexibilis & inuincibilis rectitudinis, ſeu (ut B. Aug. hic ſen
 tit) Inflexibilis iuſticia, quantum libet enim multi fuerint conati, uerbū dei in
 ſuum ſenſum torquere & incuruare, permanſit tamen inuictæ rectitudinis,
 mendaces conuincens eos, qui ſe torſerunt. Non eſt enim arundinea, ſicut ba
 culus Aegypti, iij. Reg. xvij. & Iſa. xxxv. ſuper quem qui in nixus fuerit, ma
 nus eius ingreditur, & perforabit eam. Eſt autem arundo doctrina hominū, Arundo do
 omni uento opinionum agitata. At uox iſta clamantis in deſerto, ut nō eſt ue
 ſtita mollibus, ita nec arundo uacua & uento agitabilis, ſed plena & ſolida, ac
 ferrea. Quod autem ſcripturæ aliqui tribuunt cæcum naſum, & uelut arundi
 nem motabilem dicunt, factum eſt opera eorum, qui ſancto uerbo dei in ſuas
 ineptas & inſtabiles opiniones & gloſſas abutuntur, facientes, ut uerbum dei
 dum omnibus conuenit, nulli conueniat.

Tertio, ſicut ferrum omnia comminuit & domat, ut Dani. ij. dicitur: Ita uer
 bum Chriſti, magna comminuit, id eſt, ſuperbos humiliat; diſtorta componit,
 id eſt, in diſciplinatos caſtigat, erecta incuruat, id eſt, elatos inclinat: Aſpera cō
 planat, i. iracundos mitigat: Breuia prolongat, i. puſillanimes conſolatur: lon
 ga abbreviat, i. præſumentes exterrēt: cralla dilatat, i. tenaces reddit largos: lata
 coartat, i. prodigos facit frugales: obtuſa exacuit, i. indoctos erudit: acuta hebe
 tat, i. ſapientes ſtultificat: rubiginē pellit, i. acediam fugat: Summa, omnem for
 mā uicioſam deſtruit, & in aliam deo placitā mutat: & ut Apoſtolus. ij. Timo.
 ij. dicit: Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata, utilis eſt ad docendum, ad arguē
 dum, ad corripiēdum, & erudiendum in iuſticia, ut perfectus ſit homo dei, ad
 omne opus bonum inſtructus.

Tanq̄ uas figuli, ſimilitudinem miſcet allegoriæ, pro illuſtranda ſententia, Vas fictile.
 Apoſtolus. ij. Corin. iij. Vas fictile, allegoriſans, corpus, immo hominem in
 corpore ſignificat: habemus (inquit) theſaurum hunc in uaſis fictilibus, ut ſu
 blimitas uirtutis ſit dei, & non ex nobis. Hæ ſunt lagenæ illæ fictiles Credeo
 nis, quæ iuxta uocem tubarum concuſſæ & collifæ ardent & lucent, ac Madia
 nitas cōfuſos & perfequūtur & fugāt: hoc eſt, Martyrū & ſanctorū corpora, ua
 rijs crucis paſſionibus cōfracta, charitatis & ueritatis exēplis mūdū erudierūt,
 & impios cum impietate ſua effugauerūt. Et tropologicè, dū caro ſeu carnalis
 homo uerbo crucis & uirga ferrea cōfringit, uitiorū & cōcupiſcentiarū turba
 conſuſa, diſperſit a facie uirtutū & gratiæ illuſtrantis hominem.

Eſt autem ſimilitudo hoc loco, non res ipſa obſeruanda: non enim Chriſtus
 ſuos confringit & diſcutit, membrum corporis a membro diſcerpens: ſicut fi
 ctilia conſracta in multas particulas diſgregantur. Sed q̄ hæc corporalis diſſi
 patio, ſimilitudo ſit ſpiritalis diſſipationis, hoc eſt, q̄ membra corporis corpo
 raliter

*Vt se habeat
nouus homo.*

raliter non dissipata, dissipantur in suis malis desiderijs & actibus. Lingua non loquitur quæ carni placent, auris non audit detractionem, oculus non uidetur turpia, manus non rapit aliena, non tractat illicita; & in uniuersum, corpus peccati, quod membris antea utebatur pro suis concupiscentijs repente, de uerbo, dissipatis ac ab eo officio deturbatis, membris destitutum, quando scilicet Babylonē repræsentat, dum (ut apostolus Ro. vi. ait) Membra quæ prius exhibita fuerunt seruire immundiciæ & iniquitati ad iniquitatem, nunc exhibentur seruire iustitiæ in sanctificationem. Sic in Euangelio quoque fortior ille arca non modo aufert, sed & distribuit. Nā hebraea dictio מְשַׁלְּחָהּ Thenaphazim, disperges, dissipabis, disijcies eos, significat, autore Reuchlin.

Igitur uas figuli, omnes Christiani sunt. Primū, quod sicut uas figuli facile frangitur; ita mites homines incredulitatis duritia non obstinati, facile per uerbo dei, non contradicunt neque resistunt. Qui uero metis sunt duræ (ut uerbo, xxviij. uocatur) corruent in malum, & sine dubio subuertentur sicut montes, & conterentur sicut rupes, ut, iij. Reg. xix. Helias uidit.

Secundo, quod uas fictile con fractum, prorsus fit inutile ad usum priorem; ut illud Isa. xxx. impleri uideas. Non inuenietur de fragmentis eius restum quæ portetur igniculus de incendio, aut parum aquæ de fouea. Loquitur enim de lagena figuli ualida contritione comminuenda, fere ad uerbum cum uentis uis consentiens: Ita impius conuersus, & in Christū mutatus, pristinae uitæ redditur inutilis, dicens cum apostolo Gal. vj. Mūdus mihi crucifixus est, & ego mūdus.

Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram.

Interpres Etymologus, pro iudices terræ dixit, qui iudicatis terram. Atque etymologia, Reges dixit, non, qui regitis; uerū hoc parū ad rem. Descripo regno Christi, sanctam & fidelem, eruditamque subiungit exhortationem, contra reges tantans ac contendens, ut subiectos Christo reddat oēs, maxime maiores,

*Arduū, doce-
re maiores.*

Sed quæ audax & (ut hodie solemus loqui) quæ feditiosus & scandalosus, propterea iste procacissimus, qui os in cælum ponit; non infimates & plebeculas, sed summos uertices & reges ipsos audet inuadere, & eos docere, qui cum inuoluntate & officio docendorum populorum inflati, tum usu & opinionione honore securi, impatientissimi sunt huius maximæ infamiae, esse uidelicet eos inuitos & ineruditos, egereque ut doceantur & erudiantur. facile nanque est, inobstantam plebem, discipulatu assuetam, discipulam habere. At reges, iudices terræ, magistros, rectores, doctores, pontifices, plebi non modo æquare, & in discipulorum ordinem post tantum docendi & regendi usum cogere, uerumetiam tacita plebe eos discipulos requirere, quis quæso ferat? Quis non tremat hic cum Iohanne Baptista uerticem Christi tangere? At tangendus tamē est, & aqua Iordanis, descendens uidelicet humilitatis, baptizandus, ut adimpleatur omnis iustitia, cum qui sublimis est, humiliat se sub infimo, & infimus pariter sublimitatis humilitatem.

*Cōtra adu-
tores pontifi-
cum.*

Verum benignus & optimus spiritus, sciens totam populi inferioris salutem in recta maiorum institutione sitam, tanto magis eos ipsos primum blande & paterne monet, ut sensui suo cedant, paratique sint doceri, quanto non suam ipsorum, sed omnium subditorum rem agunt. Quodque ipsi errare non possunt, nisi communi totius populi malo, iuxta illud; Cæcus cæcum ducit, & ambo in foueam cadunt, Non solum autem hac ratione eos monet, sed quia scit eos (ut dixi

dixi) potestate & officio inflatos, semper in ore habere illud Ioan. viij. Tu do-
ces nos: & illud Hieremia. xvij. Non enim peribit lex a sacerdote, neq; con-
siliū a sapiente, nec sermo a propheta. Hac enim uesica & fiducia inflati, soli
si fuerunt resistere ueris prophetis, nō aliter q̄ hodie resistitur ueritati, cuiuscūq;
ab adulatoribus pontificum, garrulentibus, q̄ non præsūmitur tantæ celsitudi-
nis apex errare: & Ecclesia non potest errare: Papa non potest errare: Concili-
um non potest errare &c. Illi tamen in ueteri testamento rigidius fuerūt astri-
cti obedientiæ pontificum, q̄ nos Christiani: Si quidem tunc sub pœna mortis
debebant audire sacerdotem leuiticū: At hodie quando oēs sumus sacerdotes,
& illud Isaia nūc impletur. liij. Dabo filios tuos uniuersos doctos a domino.
Et Hier. xxxj. Non docebit ultra uir proximum suum, & uir fratrem suum,
dicens: Cognosce dominum, omnes enim cognoscent me a minimo eorū us-
q; ad maximum, ait dominus. Et quum, j. Cor. xij. Paulus manifeste præcipi-
at, ut si cui sedenti facta fuerit reuelatio, prior debeat tacere, Ideo in nouo testa-
mento sic sunt audiendi superiores quicūq;, ut liberum relinquantur cuiq; in
fimo de superioris sententia iudicare, in his quæ sunt fidei, multo magis q̄ pro-
phetis liberum fuit maioribus Israel resistere, non obstante dei præcepto. Nā
in synagoga, ubi sacerdotium in externis tantum cerimonijs agebatur, sine pe-
riculo erat, quicūq; error sacerdotum, At in Ecclesia ubi res spiritus & fidei
agitur, omnium prorsus interest obseruare, ne sacerdos erret, Cum deus sole-
at in fimo reuelare, quod summo ne dignatur quidem ostendere, ut regnū su-
um sit firmum in humilitate, qua sola subsistit.

*Peruersitas
nostrorū su-
rū, luporū &
serpentum.*

Obserua Emphasim aduerbii, nunc: Nunc, in q̄, postq̄; Christus constitu-
tus est rex omnium, in quo tempore duo sunt, quæ uos maxime remorabun-
tur, ne recta cognoscatis.

Primum, q̄ Christus ille a uobis crucifixus, mortuus, damnatus etiam auto-
re deo maledictus secundū legem Mosi, prædicatur dominus dominantium:
Difficillimum omnium erit, agnoscere eum regem, qui tam desperata & igno-
miniosa morte interijt: Sensus fortiter repugnat, ratio abhorret, usus negat, ex-
emplum deest, plane stultitia hæc gētib; & ludæis scandalum erit, nisi super
hæc omnia, mentem eleuaueritis.

*Difficile iudæ-
is credere in
Christum.*

Secundum, q̄ rex iste sic regnat, ut omnia quæ in lege sperastis contemnen-
da, omnia quæ timuistis amanda, doceat, crucem mortemq; proponit. Bona
quæ uidentur, & mala, iuxta uilipendenda esse suadet, longe in alia uos bona,
eaq; quæ nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt,
uos transpositurus. Moriendum est uobis, si sub hoc rege uiuere uultis: Crux
& odium totius mūdi ferenda; ignominia, paupertas, fames, sitis, breuiter ma-
la omnium fluctuum mundi non fugienda. Hic est enim rex, qui & ipse stul-
tus factus est mundo & mortuus: deinde conterit suos uirga ferrea, & tāq; uas
figuli confringit eos. Quomodo hunc sustinebit, qui sensu nittitur, qui rem ra-
tione metitur, qui stat in ostio papilionis sui, qui faciem sui Mosi uidere ne-
quit: Ideo intellectu opus est & eruditione, quibus hæc transcendatis & ui-
sibilibus contemptis, in inuisibilia rapiamini: non sapiētes ea quæ super ter-
ram, sed quæ sursum sunt, ubi Christus est &c.

Proinde uerbū intelligite, in heb. sonat **וְיִשְׁרָפֶנּוּ** ascilū, q̄ absoluto statu si-
gnificat, intelligētes facite, sc̄; uosmetipsos (ut Hiero. exponit) uel alios, hoc ē
sic agite, hoc cōtendite, ut sitis intelligētes, & sp̄alia celestia sapiatis, q̄ nra
uernacula dicimus: **Seind weis vñ verstendig.** Simili sentētia qua psal. xxxj.



Intellectus ex
fide.

Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Est autem haec intelligentia, non de qua Philosophi opinantur, sed fides ipsa, quae in rebus speris & aduersis potens est ea uidere, quae non uidentur. Ideo non experientia quae intelligant, absolute dicit, intelligite; id est, facite ut sitis intelligentes, ut rate ut sitis creduli. Non enim habet nomen, neque speciem, ea quae fides intelligit. Nam praesentium rerum prosperitas uel aduersitas penitus subuertit omnium animam, qui fide non intelligit inuisibilia. Hic enim intellectus ex fide uenit, iuxta illud: Nisi credideritis non intelligetis. Et hic est ingressus ille caliginosus, in qua absorbetur, quicquid sensus, ratio, mens, intellectusque hominis comprehendere potest. Coniungit enim fides animam cum inuisibili, ineffabili, incommensabili, aeterno, incogitabili uerbo dei, simulque separat ab omnibus uisibilibus. Est haec est crux & phasus domini, in quo necessarium praedicat hunc intellectum.

Erudimini iudices terrae, Aug. tautologice dictum accipit. Est autem hoc opus, Erudimini, absoluti status, pro eo quod est, agite ut sitis eruditi, hoc est, e rudibus animalibusque sensuum & sensilium rerum affectibus & opinionibus eruti, ut non pueriliter de Christo, regnoque eius sentiat. Animalis enim homo non percipit ea quae dei sunt, 1. Cor. 11. Mihi autem eruditio uideatur significare auersionem cordis a rebus pereuntibus, sicut intellectus conuertitur ad apprehensionem rerum aeternarum; illam crux operatur in carnis mortificatione hanc fides in spiritus uiuificatione.

Terram significare figurate homines in terra, notius est quam ut indicari cogat, nisi quod Aug. libentius tropologifans, corpus significari putat.

Seruite domino in timore, & exultate ei cum tremore.

Prædicationis
stultitia.

Mira sententia, & in oculis nostris absurda: Timor enim & odium & iram operatur, non famulatum; & tremor uehementet obstat exultationi. Deinde & alij psalmo contrarium dicit, ubi seruire domino in lætitia iubemur. Quodigitur Mediator apostolum Paulum audiamus, qui, 1. Corin. 13. dicit, Quod mundus in lætitia dei non cognouit per sapientiam deum, placuit deo per stultitiam praedicationis saluos facere credentes; quod, id est, in stultitia sapientes fieri oportet, in pace & prosperitate, deum (sicut oportuit) benefactorem non agnouimus, nec laudauimus, placuit ut nunc in cruce & aduersitate eum agnoscamus & laudemus; Ita in securitate non seruiuimus deo cum lætitia, placet ut in timore seruiamus ei cum lætitia, & in tremore exultamus, & in summa, sicut omnia dei mundus peruertit. Ita rursus deus omnia mundi peruertit. Creatura tota data est ad erigendum illuminandumque hominem; At ipse illa utitur ad excandandum & incuruandum seipsum. Quare rursus deus utitur creatura tota ad excandandum & incuruandum hominem. Haec est crux Christi & praedicationis illa stultitia, qua saluos facit credentes. Nam sentientes, ratio cinantes, sapientes, intelligentes, in his omnibus offenduntur & perduntur.

Est itaque sensus, quando Christus dominus in uirga ferrea regnat, & confirmat ueterem hominem uerbo crucis, atque id uoluntate & mandato patris, cui omnia ei subiecit, oportet ut ei subiectos uos agnoscat, subiectos autem timore, quo patienter & humiliter feratis crucem eius, timentes ne quo minus manum & consilium eius sustinetes, reprobis efficiamini; sicut illi psal. lxxv. Filij Ephraim conuersi sunt in die belli. Hoc autem praestabitis, si uos nunquam indigna pati, sed multo maiora mereri agnoueritis, Superbi enim, qui sibi carum

tantū bonis digni uidentur, securi sunt, non ueretur cum Iob omnia opera sua: ideo in tempore tentationis non subsistūt, sed (sicut Matth. vii. de domo stultitū super harenam ædificata dicitur) magna ruina colliduntur, & peiores redduntur. Timor itaq; iste in tota uita, in omnibus operibus, est magna pars crucis, immo fere tota crux.

Quin insuper cum Apostolo Rhom. v. Gloriandum est in tribulationibus exultandum cum tremore. Ex quibus omnibus colligitur, duplicem esse dei seruitutem & exultationem.

Est enim Seruitus in securitate, & exultatio in domino sine tremore, hæc sunt hypocritarū, qui securi sunt, sibi placent, nec inutiles serui sibi uidentur, merita multa habentes: de quibus psal. ix. Auferuntur iudicia tua, a facie eius, & (quod sequitur mox) illud psal. xiiij. Non est timor dei ante oculos eorū. Hi iustitiam sine iudicio faciunt in omni tempore, nec permittunt Christum esse iudicē tremendum omnibus, in cuius conspectu non iustificatur omnis uiuens.

Seruitus in timore, & exultatio cum tremore, iustorum est, qui iustitiam faciunt, & iudicium omni tempore, utrunq; semper temperantes: nec unq; sine iudicio, quo terrentur, ac desperant de se, suisq; operibus: nec sine iustitia, qua confidunt & exultant in misericordia dei: Horum totius uitæ officium est, se ipsos in omnibus accusare: Deum in omnibus iustificare & laudare, ac sic implent illud Proverb. xxviiij. Beatus homo qui semper est pavidus. Simul illud pri. Thessa. ultimo: Semper in domino gaudete. Ita inter molam inferiorem & superiorem, Deut. xxiiij. Conteruntur & humiliantur, & exuta theca frumenti, fiunt farina purissima Christi.

Emphasin istam tuo relinquo studio, qua dicit: Seruite domino, non tibi, non uentri, non auro, non deniq; iustitiæ, potestati, sapientiæ tuæ, nec ulli, prorsus rerum: Hæc enim species sunt idololatriæ. Ita exultate ei, non uobis, non ulli creaturæ, sed soli domino.

Hoc autem fit, quando in omnibus tibi nihil arrogaris boni, de quo confidas ac glorieris, sed soli deo tribuas omnia, & ipsum in omnibus laudaris, benedixeris, amaueris: Tibi uero omne malū attribueris, in quo timeas, tremas, diffidas. Sicut Iob pro utroq; tempore dixit: Dominus dedit, dominus abstulit: Sit nomen domini benedictum.

Hæc omnia q̄ sint difficilia uidebis, si utrunq; tempus obserues. In aduersitate enim arduum est, non deficere, non querulari, non impatientem fieri, & timore malorum, non facere aut omittere cōtra dei præceptū, ac sic timore dei superare timorē creaturæ, non cedere affectibus & obiectis, sed adherere uerbo domini, usq; etiā ad mortē. Hic enim p̄batur, an dño seruiatur, an plus dei uoluntas timeatur, q̄ creaturæ cuiuscunq; uolentia. Porro in prosperitate etiā magis periclitatur tremor dei, q̄ in aduersitate timor dei. Hic enim exultatur secūre, & difficile est timere, nedū tremere, dū omnia cedunt ex sententia.

Idcirco, meo iudicio, tremorem cum exultatione, & timorem cum seruitute aptissime coniunxit: q̄ seruitus laborem aduersitatis importet, exultatio autē otium prosperitatis: atq; in hac adeo commendandus fuerit timor, ut etiā tremorem ibi necessarium assereret, q. d. plus timendum est, ubi timor nō est, & quo feliciter omnia habent, eo sollicitius timendum, atq; adeo tremendum, cū exultare ac effusus latari contigerit.

Apphēditē disciplinā, ne q̄ irascatur dñs, & pereatis de uia iusta.
In heb.

seruitus hypo-
critarum.

Exultatio ius-
torum.

soli domino
seruiendum.

In heb. Dominus & iusta non habentur, sed nihil officit. Fere ab oibus in
translatio reprobatur: Apprehendite disciplinā. Nā heb. **ברך** Nascitur
dicitur, quod Hiero. in Psalterio heb. transtulit, Adorate pure; quia Bar enim
purū & electum significat. Idem in Cōmentario sic dicit: In hebreo leguntur
Nesci bar; quod interpretari potest, Adorate filiū, Bar enim & filium significat.
Vnde Simon Bar Iohanna, filius Iohannis in Euangelio; Et Bar Protho-
us, filius Ptolomei; Barnabas, filius pphetæ, & similia. Burgen & Lyranus
sic: Osculamini filiū, nuscq̄ autem dicitur Bar disciplinam significare. Oscula-
ri autem interpretantur homagium prestare; ut sit sensus: Osculamini filiū, hoc
est, cum reuerentia & humilitate regem & dominum Christū suscipite. Con-
tentemus utrunq̄ omnia concordare. Osculū primo signum est reuerentiæ
adorationis, quo modo sacra & diuina osculamur & honoramus; aut humiliter
ter pstrati, pedes & uestigia osculamur, sicut Maria Magdalena Christi oscu-
lata est; iuxta hoc Hiero. transtulit, Adorate pure.

Osculum.

Secundo, est signū recognitionis & fidei prestādæ, ut in homagio, ubi oscu-
lari solemus manū, agnoscentes hoc ipso dominū quē osculamur. Tertio
signū est perfectissimæ amicitie & charitatis, quo solemus oculos aut faciem
osculari, de quo Apostolus præcipit Ro. xvi. Salutate inuicē osculo sancti. In
osculo Christus suos discipulos legitur reuerentes excipere solitus. Verum
quando hoc modo osculantes soleant mutuo sese apprehendere & amplecti,
nostra translatio habet: Apprehendite disciplinam.

Cum autem absolute dicat: Osculamini filiū, nō pedes, nec manū, nec
faciem commemorans: Iustum est ut pro tota latitudine quē osculamur, ut
Christū, osculo pedum adoremus, sicut filium dei uerū deū; osculo manū exci-
piamus, sicut legitimum dominum & sempiternum adiutorem ac saluato-
rem; osculo oculorum uel faciei, amplectamur sicut dulcissimum fratrem, amicum
& sponsum animæ nostræ. De ijs tribus osculis uide Bernhardin. penitenti-
pio Canticorum; ut sit sensus: Osculamini filiū, hoc est, Christum deum colite
summa reuerentia; Christo domino subiecti estote summa humilitate; Chris-
to sponso adhærete summa charitate; Ecce amor & timor, utriusq̄ modus in
mediū, humilitas: Hæc perfectissima est latria.

Osculari filiū

Latria.

Iam illud Bar, quod filium, purum, disciplinam, translatū est, sic concepi-
mus; q̄ fides Christi, est uere disciplina nostra; Ideo qui Christum credit, &
filium osculatur, uere disciplinam apprehendit, portans crucifixum Christū
in seipso (ut ad Galatas scribitur) Non enim Christus secū carnē osculatur,
aut apprehenditur, sed in spiritu, id est, dū crux & passio eius, quibus discipuli
namur (Heb. xij.) amanter suscipitur: Ideo nostra translatio ad uerbū nihil est
ad sensum aut̄ propriissima. Porro, pure adorare, illud tangit quod in Ro.
xi. scribit, de adoratiōe impura Baal, d. Derelinquā mihi in Israel sepe similia
utrorū, quorū genua non sunt incuruata ante Baal, & omne os quod nō ado-
rauerit eū, osculans manū, ubi (ut obiter dicā) osculans manū, non est in textu
sed idē uerbū Nasci, quod nunc osculari dictū est significare, ponitur, ubi dicitur,
q̄ non adorauerit eum; quod forte quispiam hebræista interpretatus, glo-
saui, osculans manum, ut modum adorationis exprimeret, ac deinde in textu
relatum est ab imperito scriptore. At in hunc sensum tamen Iob. xxxi. loquitur,
d. Si osculatus sum manum meam, ore meo, quæ est iniquitas maxima, &
negatio contra deum altissimum; quo tropo scripturæ B. Greg. interpretatur
significari hominem in suis operibus fidentē, ac de iusticia nō acceptam in Christo,
sed uia

Iniquitas ma-
xima.

sed uiribus proprijs obtenta gloriantem. Hic enim adorat & osculatur manū suā, ore suo: quia se laudat in se, sibi placet in se, non in domino laudatur anima eius. Ideo est iniquitas maxima, & negatio altissimi, ut quæ id quod dei est sibi tribuat, seipsam in idolum Baal sibi statuens, seque adorans, se autorem faciens honorum suorum: Nam בעל Baal autorem seu dominum significat. Sic est adoratio impurissima: quare Christum osculari, Christum agnoscere saluatorem, & illius manum osculari, hoc uere & pure & purum adorare est, hoc in timore seruire Christo. Si filius (inquit) uos liberauerit, uere liberi eritis. Concludamus itaque: Vult propheta, ut seruiamur Christo in timore: se peccatores agnoscamus, & semper accusent, solum deum iustificent in Christo: Sed cum ei possint occurrere, & prætere se legem seruasse, iustos esse, non peccasse, nec Christo ad iustitiam opus sibi esse. Huic præsumptioni pessimæ occurrens dicit: Nolite existimare uos esse iustos, exinanite hanc opinionem Idolatræ, ne uos deo æquetis, nolite fidere in iustitijs uestris, immo filium osculamini, filium amplectimini, illius manus, illius iustitia, illius salus uos seruat. Atque hoc nisi feceritis, irascetur iustitia uestræ, & peribitis de uia, seu (ut ego somnio) peribitis cū uia uestra. Nam hebraice satis obscure dicitur ויהי הנהגתו דרך, id est, & peribitis uia, quod per eclipsim pro, peribitis cū uia, dici mihi uidetur, iuxta psal. j. Iter impiorum peribit. Veruntamen nullius sensui præiudico, ego non uideo, quomodo de uia iusta pereant: qui in uia iusta nondum sunt. Terri autem periculo suo possunt, qui in uia sua tanquam iusta sibi placentes, Christum ueram uiam non agnoscunt.

Cū exarserit in breui ira eius, beati omnes qui confidunt in eo.

Hæc pars ad uersum præcedentem pertinet in hebræo, qui totus sic ordinatur: Adorate filium ne forte irascatur, & pereatis cum uia, quoniā exardescet breui ira eius. Beati omnes qui confidunt in eo.

Est ergo sensus: Maturate & festinate Christū adorare, ne pereatis in ira eius. Ac ne uos ipsos fallat, quasi adhuc longe sit: Scitote, quoniā cito & in breui exardescit ira eius, subito dū non speratis ueniet: sicut Matth. xxiii. Si dixerit malus seruis ille in corde suo, morā facit dominus meus uenire, ueniet dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua ignorat. Sic Prover. j. Cū uenerit repentina calamitas, Et. j. Thef. v. Ipsi diligenter scitis, quia dies domini sicut fur in nocte, ita ueniet. Cū enim dixerint, pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus. Terribilis est ergo ista cōminatio, quia si subito apprehenderit ira dei, non erit qui eripiat. In fine pulcherrimo psalmum cōcludit epiphonemate. Hæc est, inquit, summa summarū: Beati oēs qui confidunt in eo, ideo enim passus est, ideo resurrexit, ideo cōstitutus est rex, ideo accepit oīa in hæreditatē, ut saluare possit omnes, qui confidunt in eo.

Hæc autem confidentia iustificat sola, sine operibus legis: ut Apo. ad Ro. & Galat. docet. Verum difficillima est tot resistētibus aduersitatibus, tot alligentibus prosperitatibus: Beati ergo qui non fuerint scandalisati in eo quod opus est diuinæ gratiæ, nō autē humanæ uirtutis. Sic enim spūs benignus nō in æternū cōminatur, sed terribus rursus consolatur sine fine: Si (inquit) timetis iram eius, nolite desperare, confidite: Beati oēs qui confidunt in eo: Ideo enim terret ira eius, ut ad fiduciā illius uos urgeat. Amen.

Psalms